

Item quod comune et homines Monticuli majoris sint liberi
 et absoluti ab omnibus injuriis, damnis et offensis illatis per eos
 vel occasione rebellionis eorum contra dominos de la Scala in
 guerra presenti et ab omnibus questionibus et querelis que eis
 vel alieui eorum possent fieri vel moveri modo aliquo, occasione
 dictarum offensionum et ribellionis.

Item quod omnia banna, processus, condemnationes et sen-
 tentie quomodocumque et qualitercumque promulgate et facte
 contra dictum comune et homines Monticuli, tam communiter quam
 singulariter vel specialiter occasione guerre presentis seu a tem-
 pore ribellionis eorum citra, sint casse et irrite. Et pro cassis et
 irritis penitus habeantur, ac de libris communis Vincentie et dicto-
 rum dominorum de la Scala et cuiuslibet terre sue, sine aliqua
 solutione pecunie, debeant aboliri et cancellari.

Item quod dictum comune et homines Monticuli ab omnibus
 datiis, gabellis, taleis, collectis, mutuis, factionibus, penis et aliis
 debitibus et oneribus realibus et personalibus et mixtis, quocumque
 nomine censeantur, in quibus tenerentur, usque in diem presentis
 pacis, dominis de la Scala vel comuni Vincentie aut aliis vel aliis
 pro ipsis dominis vel comuni, et etiam de afflictibus, livellationi-
 bus et prestationibus anni preteriti et presentis, quibus non po-
 tuerunt propter guerram gaudere bonis, possessionibus et labo-
 reriis suis, sint liberi perpetuo et penitus absoluti.

Item quod propter damna maxima que dictum comune et
 homines Monticuli habuerunt in guerra presenti, et occasione
 ipsius guerre, habere debeant et habeant ipsum comune et ho-
 mines immunitatem et franchitatem ab omnibus impositionibus,
 collectis, exercitibus, mutuis, factionibus, angariis et aliis quibus-
 cumque oneribus realibus et personalibus, quocumque nomine
 censeantur imponendis et faciendis per dictos dominos de la Scala
 seu per comune Vincentie aut quoscumque rectores vel officiales
 eorum vel occasione eorum, hinc ad annos decem proxime ven-
 turos. Et de presenti firmata pace fortilicia facta in dicto loco